

**Disputatio medica de dyspepsia : quam annuente summo numine ex auctoritate reverendi admodum viri, D. Georgii Baird SS. T.P. academiae Edinburgenae praefecti; nencon amplissimi senatus academici consensu, et nobilissimæ facultatis medicæ decreto; pro gradu doctoris, summisque in medicina honoribus ac privilegiis, rite et legitime consequendis; eruditorum examini subjicit / Franciscus Cobham, Barbadosensis... ; kalendis Augusti, horâ locuque solitis.**

### **Contributors**

Cobham, Francis, active 1820.  
Baird, George Husband, 1761-1840.  
Cobham, Francis, active 1820  
Travers, Benjamin, 1783-1858  
St. Thomas's Hospital. Medical School. Library  
King's College London

### **Publication/Creation**

Edinburgi [Edinburgh] : Excudebat Joannes Moir, 1820.

### **Persistent URL**

<https://wellcomecollection.org/works/g59pn4xy>

### **License and attribution**

This material has been provided by This material has been provided by King's College London. The original may be consulted at King's College London. where the originals may be consulted.

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.

**wellcome  
collection**

Wellcome Collection  
183 Euston Road  
London NW1 2BE UK  
T +44 (0)20 7611 8722  
E [library@wellcomecollection.org](mailto:library@wellcomecollection.org)  
<https://wellcomecollection.org>



KING'S  
*College*  
LONDON

---

---

TOMMIE  
RAMPH. 130x RE 827 C02

*Library*  
CORHAM, FRAWCE  
DYSPEPSIA  
1820

201094990 6



KING'S COLLEGE LONDON

p. 26.

DISPUTATIO MEDICA

DYSPEPSIA.

D. GEORGH BARRIX SS. L. P.

---

DISPUTATIO MEDICA

DE

DYSPEPSIA.

---

DISPUTATIO MEDICA

DYSPEPSIA

IN GEORGII BARRIS S. T. P.

DISPUTATIO MEDICA

DE GIBBO SCOTICO

DYSPEPSIA

FRANCISCI BOHMAN

DISPUTATIO MEDICA

DE

DYSPEPSIA :

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE REVERENDI ADMODUM VIRI,

D. GEORGII BAIRD, SS. T. P.

ACADEMIAE EDINBURGENAE PRAEFECTI;

NECNON

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU, ET

NOBILISSIMAE FACULTATIS MEDICAE DECRETO;

Pro Gradu Doctoris,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS ;

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

FRANCISCUS COBHAM,

BARBADENSIS ;

COLL. REG. CHIRURG. LOND. SOC.

SOCIET. REG. MED. EDIN. SOC. EXTRAORD.

NECNON

SOCIET. PHYS. NOS. GUY, SOC. ORDIN.

The stomach urged beyond its active tone  
Hardly to nutrimental chyle subdued  
The softest food; unfinished and depraved  
The chyle, in all its future wanderings, owns  
Its turbid fountains, nor by purer streams  
So to be cleared, but foulness will remain.

ARMSTRONG.

*Kalendis Augusti, horâ locoque solitis.*

EDINBURGI :

EXCŪDEBAT JOANNES MOIR.

1820.

717465

THOMAS

D Y S T E P S I A  
PHILIPPO GADDELL M.D.

D. GEORGE BAIRD ESQ. F.R.S.



WARRANTED

1850

PHILLIPO CADDELL, M.D.

SORORIS MARITO

VIRO

VIRTUTIBUS QUAE GENUS HUMANUM ORNANT,

REIQUE MEDICAE SCIENTIA

INSIGNI,

OB PLURIMA BENEFICIA ACCEPTA

QUORUM MEMORIA IMO PECTORE REPOSTA VIGET,

HOC TENTAMEN MEDICUM

ANIMO GRATISSIMO ET AMANTISSIMO

SACRAT

FRANCISCUS COBHAM.

PHILIPPO GADDELLI M.D.

PHYSICIAN IN CHIEF  
OF THE HOSPITAL

REYNOLD A. ALLINE

PHYSICIAN IN CHIEF OF THE HOSPITAL

EDWIN W. BROWN

PHYSICIAN IN CHIEF OF THE HOSPITAL

ALL INFORMATION OF THE HOSPITAL

OF THE HOSPITAL

GENERAL INFORMATION OF THE HOSPITAL

THE HOSPITAL

AND THE HOSPITAL

1852

FRANKLIN COBB

VIRO SPECTATISSIMO

REYNOLD A. ALLEYNE,

*EQUITI BARONETO,*

EJUS CONSANGUINEO ET AMICO PRAESTANTISSIMO

HANC DISPUTATIONEM

STUDIORUM PRIMITIAS

AMICITIAE IN EUM COLLATAE

MEMOR.

D. D. CQUE

AUCTOR.

THE UNIVERSITY OF CHICAGO

THE KENNEDY & WELLS

COLLECTION

OF

THE UNIVERSITY OF CHICAGO

LIBRARY

OF THE

UNIVERSITY OF CHICAGO

OF THE

UNIVERSITY OF CHICAGO

OF THE

UNIVERSITY OF CHICAGO

UNIVERSITY OF CHICAGO

UNIVERSITY OF CHICAGO

GULIELMO G. M'CRÆ,

*ARMIGERO,*

EDINBURGENSI,

SUMMA CUM VENERATIONE

HANC DISSERTATIONEM

CONSECRAT

AUCTOR.

DISSERTATIO MEDICA

GULIELMO G. MORGAGNI

LIBRARIUS

PHARMACEUTICUS

CHIRURGICUS

PHYSICUS

PHYSICUS

PHYSICUS

PHYSICUS

PHYSICUS

To

Benjamin Franklin Esq<sup>r</sup>

with every sentiment of  
respect and esteem

from the

Authors

---

DISPUTATIO MEDICA

DE

DYSPEPSIA.

---

AUCTORE FRANCISCO COBHAM.

---

PRAEFANDA.

EA actio multiplex, cujus ministerio cibi accepti concoquuntur, ad valetudinem secundam plurimum operae confert. Haud sane inter vitales habetur, quippe qua perquam languente, vita diu conservari potest : tam arcto tamen nexu ventriculus, aliaque partes cibo concoquendo dicatae, cum cerebro, imo vero cum omnibus aliis visceribus committuntur, ut actio concoctrix incitata caeteras incitet, sedata sedet, abnormis turbet, mutata mutet. Quo perspecto, et summos medicinae honores ambiturus, *Dys-*

*pepsiam* argumento selegi, de quo pauca literis mandarem—non in animo est omnia vitia ipsius ventriculi, partiumve vicinarum, quae cibi concoctionem laedant, perscrutari: neque enim limites angusti, quibus contineor, nec consilium initum campum tam late patentem explorare sinit. Istis igitur vitiis praetermissis, quam brevissime de *Dyspepsia Atonica*, nimirum, ventriculi fibris motricibus et arteriis secretricibus imbecillis orta, disputabo. Hanc vero ad Classem NEUROSES, Ordinemque ADYNAMIAE, relatam ita CULLENUS definivit: “Anorexia, nausea, vomitus, inflatio, ructus, ruminatio, cardialgia, gastrodynia, pauciora saltem, vel plura horum simul concurrentia, plerumque cum alvo adstricta et sine alio vel ventriculi ipsius vel aliarum partium morbo.”

#### DE SIGNIS.

Morbus propositus non omnes iisdem implicat malis: longe saepius tamen hisce de-

nunciatur signis. Dolor ventriculi frequenter acutus sensus, quasi angoris ad fauces relati, et cibi fastidium cruciant. Vires labuntur; acor ventriculi inflatio, ructus, nausea et vomitus pituitae acidae, modo biliosae naturae, exercent. Cibi crudi saepe in fauces relabuntur; sapore admodum injucundo aegrum affecturi, praesertim mane. Anhelitus porro non raro vehementer foetet, ingestis nimirum fermentescentibus aut putribus. Ardoris sensus, circa *cardiam*, qui *cardialgia* apud medicos vocatur, saepe torquet: dolorque ventriculi manu premente potius levatus quam exasperatus aliquando quaesitissimus accedit; scilicet, *gastrodynia*. Non semper cibi fastidiuntur; contra, persaepe homo solito est edacior. Alvus fere pigerrima est: nonnunquam profecto fluit,

Quinetiam, tam intimo consensu ventriculus cum cerebro, corde, summa cute aliisque partibus sociatur, ut quam plurimae notae *Dyspepsiae* insigniant, jure *nervosae* ap-

pellandae. Hujusmodi sunt capitis dolor, vertigo, mens demissa, futuri pavidam; sensus calvariae ferramento perterebratae, qui *clavus hystericus* nominari solet: aures sonantes, oculi languentes, et caligantes, nonnunquam sane *amaurosis* ipsa, pupillis patentibus nec luce coarctatis. Subinde mens duplici imagine rei objectae cujusvis luditur. Vultus fere pallet, nonnunquam rubet, maximeque, cibo jam accepto: cutis summa modo aret, alias gelido diffluit sudore, invicemque modo friget, modo exardet, manusque et pedes perquam frigent. Arteriae moveri solent exiliter, citius quam fert natura, et imparibus intervallis: cor simul frequenter palpitat; et interdum anima pene defectura esse videtur. Lingua et fauces plerumque arent: illa sorde equidem viscida, alba, flava, aut fusca saepe foedatur. Uvula et palatum molle flaccere consuerunt. Urina redditur interdum pallida, modo rufa et crassa. Noctu aeger persaepe vigilat; aut si dormiat, somniis diris exagitatus, derepente excitatur, gravitatis sensu circa praecordia simul

oppressus, aliquando impatibili, qualis *incubus* apud medicos vocatur. Piget aegrum ambulare, aut minimam animi corporisve actionem subire.

Signa supra comprehensa *Dyspepsiam* denuntiare consuerunt; quae tamen, haud secus atque alii morbi a causis plurimis mutatur et regitur; veluti, ratione aetatis, coeli et tempestatum, et quae sunt hujusmodi. Euro spirante, *Dyspepticus* valde perturbatur, angitur inquietudine, doloribus vagis, artuum torpore; imo vero tremore, et nervorem distentione.

#### DE FINIBUS.

Jam notavi morbum, de quo agimus, vix unquam perniciem vitae ipsi minitari; diuturnus tamen vires animi et corporis conterere et vitam miserrimam reddere potest. Longe saepe juventa florentibus, et *temperamento*, quod vocatur, sanguineo praeditis

contingit; annisque incrementibus sensim mitescit, demum abiturus. Quod si corporis indoles aliaeque causae huc operam collocent, *Dyspepsia* aliorum morborum genitrix fieri potest; certeve in eos desinere: quales sunt, *scirrhus pylori*, aut *cardiae*, totiusve ventriculi, *hypochondriasis* et *melancholia*. Quantum usu et experientia doctus inter aegros curandos, aut libris auctorum perlectis, comperire potui, hic morbus ipse per se mortem vix unquam intulit.

#### DE DIAGNOSI.

Duo genera valetudinis adversae, nimirum *hypochondriasis* et *scirrhus pylori* quodammodo *Dyspepsiam* simulant, quae tamen ab iis, ni fallor, discerni potest. *Hypochondriasis* atra bile imbutos, et mediam aetatem transgressos aggredi sensimque ingravescere solet: contra, *Dyspepsiae* est sanguinea indole praeditos, adolescentes, nec raro *arthricos*, invadere; annisque incrementibus

mitescere. Quinetiam, illa implicito contingit mens futuri pavida, tristis, severa, suspicax et superstitioni dedita. Quem torquet *scirrhus pylori*, ei accidunt plura mala, praeter cibi male concocti notas: nimirum, dolor acutus manu premente exacerbatus et ardoris sensus circa os inferius ventriculi; vomitus hora circiter, vel sesqui hora post cibum sumptum superventurus, alvus tardissima et macies. Paulo postea, tuber durum manu admota sentitur, modo aliquanto infra cartilagineum ensiformem; alias, circa umbilicum aut pubem. Demum, *carcinomate* accedente, haec mala omnia ingravescunt; febres *hectica* macerare coepit, atque sordes putrissima et subatra evomitur et dejicitur. Scire quoque licet, hanc valetudinem diram *leucophlegmaticos* et seniores adoriri. Quibus perspectis, dijudicare licebit.



*DE CAUSIS ABDITIS.*

Causae morborum abditae sunt, quae corpora iis subeundis aptant; vel ad eos proclivia reddunt: quae tamen diu, imo vero per vitam integram, citra morbos ipsos prodeuntes, subesse possunt, nisi aliae causae, scilicet, excitantes, adhibeantur. Illae abditae vocantur, quod corpori inhaerere solent: hae contra exterae eidem fere admoventur. Opportuniores esse consuerunt, temperamento sanguineo donati, indole *arthritica* praediti, necdum aetatem mediam transgressi. Nemo rei medicae peritus ignorat *podagra*, calculo urinae, et *asthmate* contortos nunquam non plus minusve concoctione prava ciborum, nempe malis *Dyspepsiae* propriis cruciari: isti vero morbi sanguineos fere aggrediuntur. Usuque didicimus ipsam *Dyspepsiam* iisdem haud stipatam sanguineos quoque prae aliis affectare. Cur juniores potissimum adoriatur, minus constat; res ipsa notissima est.

## DE CAUSIS EXCITANTIBUS.

Causae hujus morbi excitantes sunt, quaecunque ventriculum ipsum recta infirmant; aut vires corporis universi labefaciunt, et inde actionem concoctricem laedant.

Illuc pertinent condita omnia, *aromata*, *salsamenta*, herbae *narcoticae*, satietas, ebrietas, et medicamenta, quae vomitum et dejectionem movent, crebrius adhibita. Huc vero, ignavia, concubitus nimius, studium literarum acrius, motus animi sedatrices, coelum humidum et morbi priores. De harum praecipuis paucis disserendum.

Ex conditis, cibi *capsici annui* fructu imbuti potissimum digni sunt notatu: ventriculus hoc aliisque similibus praeter modum et saepius incitatus, denuo torpet et resolvitur. Inter *narcotica*, quae *Dyspepsiam* gig-

nere solent, recensenda sunt *opium*, *folia nicotianae tabaci*, *baccae coffeae*, *folia thea officinalis*. Dubitandum sane, quomodo aut quousque *coffea*, et *thea* noceant: verisimile est, has ventriculi robur conterere, minus ob propriam ipsarum facultatem, quam ob copiam insignem aquae ferventis, qua mistae ingurgitantur.

Satietas, duplici ratione ventriculum debilitat: nimirum, ipsa moles amplior ingesti cibi, vel potus, qualiscunque sit, fibras motrices ultra debitum distendit, eoque infirmit: deinde ingesta quoque actione propria persaepe ventriculum gravant. Quantum operae potus omnigeni meraciores ad ejus fibras et arterias sedandas conferant, res est pariter medicis et vulgo notissima.

Vomitus et alvi dejectio crebrior quam plurimum ventriculi vires resolvunt: nec ratio obscura. Medicamenta enim, quae ventriculum alvumque sollicitant, incitamento sunt perinsigni: satisque constat imbecil-

litem et pigritiem incitationi nimiae semper supervenire. Usu docemur eos, qui saepe alvum, medicamentis sumptis, movent, demum suetos iisdem carere non posse. GREGORIUS noster quoque inter praelegendum docet vix amplius semel vomitum *Dyspeptici*s arte ciendum, ne exinde vires ventriculi dilabantur. Ignavia facit, ut motus cordis et arteriam langueat, eoque secernenda minus secernantur, et excernenda minus excernantur. Hinc ventriculi quoque arteriis secreticibus sedatis, ignavia succum ejus proprium imminuit, et forsitan vitiat. Concubitus nimius morbum propositum infert, partim robore totius corporis minuendo; partim etiam ipso ventriculo recta labefaciendo, prae miro consensu, quo gignendi et cibi concoquendi instrumenta invicem consoceantur.

Uti ignavia, ita quoque studium literarum acrius, et negotia vel officia, quae homines diu sedere et quiescere cogunt, morbo, quem prosequor, excitando sunt habilia :

non solum enim corpus motu privatum habescit; verum etiam mens ejus imperatrix occupata et exagitata collabitur. Hinc, quotidie diu legere, lucubrare aut scribere soliti, porro, sutores, sarcinatores aliique artifices haud raro mala concoctione aegrotant. Nec vero intempestive ambulare aut moveri bonum est: quies jam ingesti cibi concoctionem juvat; id quod experimenta (audi praelectiones CURREII apud valetudinarum Guidianum de medicina practica institutas) docuerunt. De motibus animi sedantibus, veluti, moerore, timore, coelo humido et frigido, morbisque praegressis, uti, *diarrhoea*, *dysenteria* et febribus, &c. longo sermone disputare non opus est: nemo medicorum ignorat haec omnia crebro *Dyspepsiam* peperisse: nec latet ratio, qua eandem moliuntur. Denique, probabile est partem vagam nervi octavi laesam interdum eandem induxisse; experimento enim constat, istis nervis persectis, ventriculum officio exequendo ineptum fieri,

## DE CAUSA CONTINENTE.

Causa continens hujus morbi est, “ infirmitas fibrarum motricium et arteriarum secretricum ventriculi.” Hae imbecillae succum concoctorem parciorem aequo, et saepe vitiosum, secernunt; quo fit ut cibus non in *chymum* idoneum vertatur: illae debilitatae efficiunt, ut cibus iste crudus justo diutius ventriculo inhaereat: qui ideo fermentescit: unde, genitis *acido carbonico*, et *acetico* aliisque acribus, recta nascuntur pleraque signorum *Dyspepsiae*; scilicet, *inflatio*, *ructus*, *gastrodynia*, *cardialgia*, &c. &c.

## DE MEDENDI RATIONE.

Tria consilia exequenda hujus valetudinis curationem amplectuntur:

Haec autem sunt,

*A*, Causas excitantes fugare et evitare

*B*, Signa acerbiora medicamentis idoneis consopire.

*C*, Causam continentem debellare, nempe, ventriculi vires refocillare.

*A*. Quo causae radicitus subducantur, opus erit aegrum pravos mores dedocere: quod si vino, gulae, libidini se dedere consueverit, medici est eum admonere, ne valetudinem secundam redituram, istis non ablegatis, speret. Urbanos oportebit angiportis, aurisque malis et fumo relictis, rus adire, Joveque puro et salubri perfrui; modo res familiaris sinat. Si qua de causa mens sollicita angatur, coelum mutandum, a solitudine et negotiis gravioribus abstinendum; quo aeger minus curas contempletur. Quotidie, citra fatigationem et sudorem, ambulare aut equitare juvabit: et quoniam aer humidus et frigidus, cutis halitu supprimendo, ventriculi actionem admo-

dum gravat et impedit, aegrum decebit, quam minime se imbribus caeloque nubilo objicere, pannoque laneo vestiri; sic tamen ut non sudore maceretur. Ne multa, quaecunque noxarum excitantium adsit, si fieri possit, illico erit tollenda.

*B.* Quo signa acerbiora leniantur, permagni interest, ut, ineunte hoc morbo, ventriculus et intestinum sorde fermentescente, malorum pene omnium ejus priorum fonte, quam primum expediantur. Hunc in finem, vomitus ciendus, ministrato *sulphate zinci*. Hoc aliis anteponendum, eo quod extemplo et penitus citra nauseam diutinam praegressam, ventriculum exonerat. Nec vero amplius semel vomendum, ne exinde hoc viscus denuo infirmetur. Proximum est, ut alvus probe vacuefiat; ingestis radice *rhei palmati*, aloe, salibusve mediis dejectioni inferendae aptis; semperque faciendum ut aegro quotidie alvus rite descendat.

Quod si alimenti meatu sic, uti jam retuli depleto, mala *Dyspepsiae* propria non quiescant, alia medicinae auxilia experiri opus erit. Si ardoris sensus circa os superius ventriculi torqueat, quem medici *cardialgiam* vocant, siquidem *acido acetico* intus genito niti videtur, *magnesiae*, ejusdemve *carbonati* cedere solet: alvusque simul pigra solvitur. Quod si haec laxior exerceat, *aquam calcis* aut *carbonas calcis* dare praestabit: quorum utrumvis *cardialgiam* sedat, simulque dejectionem cohibet. Eandem porro consopiet *sub-carbonas potassae* aut *sodae* vel *aqua supercarbonatis potassae aut sodae*.

Si dolor ventriculi, scilicet *gastrodynia*, cruciet, siquidem *spasmo* continetur, *opium aetherque sulphuricus* concedenda. Interdum succus concretus *hyoscyami nigri*, aut *conii maculati opio* antecellit, siqua corporis proprietas, alvusve tardior afficit, ut hoc minus conveniat. *Oxidum* etiam *bismuthi* saepe multum opitulatur; cujus grana duo vel tria semel bisve indies sumenda. Accepi,

his remediis minus proficientibus, aliquando hirudines vel *emplastrum, e meloë vesicatorio* circa ventriculum imposita dolorem leniisse: quibus tamen saepius non opus esse existimo.

Si ventriculi inflatio urgeat, pauxillum *aetheris sulphurici*, guttae ve paucae cujusvis oleorum *volatilium*, illico, ejecto spiritu, levabit. *Magnesia* porro ipsa interdum hoc signum mitigabit, cum *acido* nempe *carbonico* intus sociata. Quinetiam, cavendum ne cibi fermentescant, unde nascitur inflatio, alvo rite vacuefacta et *acidis* concessis; nimirum, *sulphurico, nitrico, aut muriatico*; subinde equidem, *acida* plantarum juvant.

Si nausea et vomitus perquam crucient, ingerenda sunt prius *carbonas potassae* aut *sodae* et succus *citri medicae*, eo ut in ventriculo effervescent. Nonnunquam opus est hoc malum *opio* et *camphora* praeceptis consopire. Vomitus gravior et crebrior profecto subinde *emplastrum e meloë vesicatorio* admoveri postulat.

Si dejectiones albidæ et acor fel intestino deficere arguant, *pilulæ hydrargyri* parce concedendæ; postridieque, mane aqua bibenda *sulphate magnesiæ* imbuta, et *infuso cassiæ sennæ* mista. Bis quaque hebdomada, hæc medicamina danda; et cavendum, ne diebus interjectis alvus pigrescat, præcepto, si opus sit, aliquanto *pilularum ex colocynthide et myrrha*.

Quum consuetudo imperio perinsigni omnes actiones corporis humani regit, maxima alvi motum (id quod usu, satis docemur,) permagni intererit, ut aeger quotidie hora certa constituta dejectum iret: qua lege rite servatâ, longe sæpius, modo viscera cibo concoquendo dicata vitiorum integra sint, et victus idoneus, intestinum medicamentis sollicitare non oportebit.

C. Quo vires novæ ventriculo concilientur, innitendum quibusdam medicamentis, perpauca sane, cibo concoctu facili, quique haud coacescat; et vitæ genere apto.

Quod ad medicamina pertinet, quibusdam amaris et *aromaticis* ex terra natis, praeparatis ex ferro, et *acido sulphurico*, utendum. Cortex *croti eleutheriae*, radix *gentianae luteae*, flores *anthemidis nobilis*, radix *colombae*, optima ex amaris esse videntur. Paululum *sub-carbonatis sodae* his bene adjicitur, quo acor deleatur. *Tincturae muriatis ferri* guttae xx. Indies bene sumuntur, vel aliquantum *acidi sulphurici aromatici*. Valde tamen suspicor remedia, quae *tonica* apud medicos nominantur, multo pluris aequo aestimari; imo vero vix quidem ulla medicamina fibras motrices firmare.

Victu praesertim niti oportet. Cibus praestat optimus, e carnibus praesertim confectus, concoctu facilis, simplex. Hujusmodi est caro bovilla assa vel elixa, ova, *gelatina* e carne vitulina, pedibusve vitulorum praeparata. Nocebunt fere olus et legumen: quippe quae facile fermentescunt, et inflationem movent. Carnes aut pisces multo sale conditae, diuque servatae et duratae fugien-

dae; aegerrime enim concoquuntur. Quo, minus ventriculus gravetur, cibus parcius et crebrius ingeri debet; qualisque prorsus e principiis alituris constet. Hinc ova et *gelatina* et alia quaedam ejusmodi sunt optima. Panis bis coctus, quali nautae uti solent, concedendus; minus enim, quam alter communis, intus coacescit. Parce bibendum post cibos, ne liquor ventriculi, cujus est concoquere, tenuior factus minus ad officium exequendum valeat. Liquores fermentes omnigeni, veluti aqua calida foliis *theae officinalis* aut *baccis coffeae* imbuta, denegandi: quam maxime enim ventriculi robur conterunt. Hora circiter ante prandium, grana quinque pulveris radicis *rhei palmati* sumpta juvabunt, vel si hoc medicamentum parum conveniat, idem modus radicis *columbae* dandus. Leniter et salutari-ter arterias ventriculi secretrices stimulat; et inde, succo concoctore aucto, facit ut cibi acrius appetantur, et melius concoquantur. Cerevisiae plerumque fugi debent, nisi corporis proprietas, aut consuetudo eosdem con-

cedi desideret. Vinum dilutius, maximeque Hispanicum iis antecellit; quippe quod parum *acidi tartarici*, et nihil *acidi carbonici* habet. Si potu meraciori opus sit, spiritus Gallicus aqua mistus parce bibendus. *Theae officinalis* foliis, et *coffae* baccis praetermissis, lac sincerum aut dilutum potius sumendum.

FINIS.



